



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Detectio Nvgarvm Lvtheri, Cvm Declaratione Veritatis
Catholicae, Et Confvtatione Dogmatvm Lvtheranorvm**

Bundere, Jan van den

Louanij, 1551

De fide iustificante. cap. xxvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35621

DE FIDE IUSTIFICANTE. 6

quit nos condidit deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioqui ubi necessitas est, nec damnatio neque corona est. Si enim necessitate adacti ad suos actus digni essent damnatione vel corona, quid prohiberet pecora damnanda vel coronanda? Ait autem Ambro. de vita beata. Nemo nostrum tenetur ad culpam, nisi voluntate propria se deflexerit, voluntarium militem sibi eligit Christus, voluntarium seruum sibi diabolus auktionatur. Et August. vasis irę nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum.

27. q. 4. ca.
Nabuch.

De fide iustificante.

Cap. XXVI.

PHILOMATHES Contumeliam in-
uris Luthero, asserens doctrinam eius
esse virtutum eradicatoriam.

ORTHODOXVS Nihil diuersum à veritate assero, quandoquidem solam fidem iustificare & saluare autumat. Nam hoc si verum sit, sequitur alias virtutes superuacaneas esse. Et quod præter eam nulla virtus iustificat. Solam autem fidem iustificare asserit in secundo articulorum suorum, quos parauerat exhibere in concilio Vincentiæ indicto, quem & principalem existimauit. Item scribens cōtra
decre-

DE FIDE IUSTIFICANTE.

decretum Augustanum in qua conclusum erat nihil immutandum circa fidem aut religionem christianam, ante generalis concilij decisionē, sic ait. Dico ego doctor Martinus Lutherus, domini nostri Iesu Christi indignus euāgelista, quòd hunc articulum, sola fides absque omni opere iustificat coram Deo, firmum atque incòcussum permittere debet Romanus Imperator, Turcicus Imperator, & Tartaricus Imperator, Papa, Cardinales & omnes episcopi & sacerdotes, totus mundus simul cum omnibus demonijs. Et debent insuper habere ignem infernalem super capita sua, & nullam gratiarum actionem. Hic esto meus doctoris Lutheri instinctus à spiritu sancto, verumque & sanctum euangelium. Attende mi Philomathes si huiusmodi verba in Christi euangelio reperiās? præterea in Babilonico suo præludio asserit tam diuinitatem esse Christianum hominem ut etiam si velit non possit perdere salutem, nisi nolit credere, Nec vlla peccata eum damnare queant, eo quòd per fidem in promissionem quæ baptizato facta sit, mox absorbeantur ac deleantur omnia peccata, modò credat aut cogitet se baptizatum esse. Rogabat eum familiariter amicorum quidam, cur in theutonico suo testamento assereret hominem iustificari sola fide, quum Paulus dicat, Arbitramur hominem

DE FIDE IUSTIFICANTE. 64

hominem iustificari per fidem, omisso ly. solá. Magno supercilio respódit, Si inquit papista tuus multa vult garrere de hac voce sola, Ei có festim dicit sic. Doctór Martinus Lutherus vult sic habere. Et dicit papistá & asinū rem esse vnā, Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim papistarū scholares esse aut discipuli, sed magistri & iudices. Attende arrogantiam Lutheri, qui Pauli textum proprio arbitrato non veretur temerare, addēdo ly. solam, Euangelio & Iacobi sententiæ audet contradicere. Dicit enim Iacobus. Vis scire ô homo inanis quoniam fides sine operibus ociosa est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius. Et ex operibus fides consummata est. Et infra. Vides quoniam ex operibus iustificatur homo & non ex fide tantum. Fide quoque fulti dicent quidam Deo, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis (dicit Dominus) quia nunquam noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatē. Credo te mecū scire mi Philomathes, quòd adulter, fur, aut raptor eo peccato non perdat fidem. Hi nunquid saluabuntur? dices

Iac. 2.

Matth. 7.

DE FIDE IUSTIFICANTE.

dices cum Apostolo quòd omnis fornicator aut immundus, aut auarus (quod est idolòrum seruitus) non habet hæreditatè in regno Christi & Dei. En quantam fenestram Lutherè aperis peccatis & sceleribus noua tua doctrina, dicens solam fidem iustificare & saluare.

Non autem imus inficias fidem iustificare, sed eam solam id efficere negamus, hoc vñ notum faciam, geminam elicio ex scripturis iustificationem, vnam à peccatis secundum illud psalmi. Beati quorum remissæ sunt iniquitates &cæ. Sic Publicanus ille descendit in domum suam iustificatus ab illo Pharisæo. Et Paulus ait. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: alteram per iustitiæ incrementū: de qua Ioan. in Apocalypsi. Qui iustus est iustificetur adhuc: Et sanctus sanctificetur adhuc. Et Paulus scribit Philippensibus. Et hoc oro vt charitas vestra magis ac magis abundet, At Lutherani (vt arguti sunt) vtrâque confundunt, fucum facientes catholicis, ne in aperto deprehendantur quod summopere metuunt. Nam illos deprehendisse superasse est, cūm arundineo nitatur fundamento. In impij iustificatione quatuor est inuenire, & non solam fidem vt garrit Lutherus. Motum liberi arbitrij in deum & in peccatum, remissionem culpæ & infusionem gratiæ. Motus

Luc. 18.

Apoc. 22.

DE FIDE IUSTIFICANTE. 65

tus liberi arbitrij in Deum est per fidem spem
& charitatem. Fides ob oculos ponit pecca-
tori, Dei bonitatem quam tantopere offen-
dit, & misericordiam qua peccatorē expectat,
redeuntem recipit, & facile condonat rogan-
ti quod admissum est criminis. Spes extimu-
lat animum peccata detestantem, vt veniam
efflagitet apud diuinam clementiam. Et mox
sequitur culpæ remissio, & gratiæ infusio, quæ
non est sine charitate, dicēte Salvatore, dimis-
sa sunt ei peccata multa. s. Magdalene, quoni-
am dilexit multum. *Luc. 7.* Fides namq; sine charita-
te Deo accepta non est, secundum illud Apo-
stoli. Si habuero omnem fidem, ita vt etiam *1. Cor. 13.*
montes transferam, charitatem non habuero
nihil sum. Si enim fides quæ etiam miracula
operatur non placet Deo sine charitate, mi-
nus Deo grata erit fides inferior. Hæc lu-
ce clarius conspexeris in Publicani conuersi-
Luc. 18. one, hic ex animo peccata sua detestans com-
missa, veritus est oculos ad cælum leuare: Et
dolore animi percutiebat pectus suum: Fidei
atque spei innixus, ait. Deus propitius esto
mihî peccatori. Hinc peccatorum veniam, &
gratiæ adeptus est infusionem, teste Domi-
no, & dicēte, descendit hic iustificatus ab illo.

Idem reperies in latronis conuersione. *Luc. 23.*
Fide dominum in tormentis cōfessus, peccata

K detestatus

DE BONORVM

detestatus est dicens, & nos quidem iuste &c. Spe erectus ait. Memento mei dñe cum veneris in regnum tuum . Cui mox diuina misericordia obuia fuit dicens , Hodie mecum eris in paradiso . Eadem docebit te Magdalene pœnitentia. Ex his facile concludes iniquam & mendacem Lutheri sententiam, quam vult hominem sola fide iustificari & saluari, vt omnes virtutes eliminentur, vitia nulla vitentur, quę damnare nos nequeunt, sed sola infidelitas vt autumat Lutherus .

Lnc. 7o

De bonorum operum neglectu.

CAP. XXVII.

PHILOMATHES Incidi nuper in ea quę scripsit Lutherus ad Albertũ archiepiscopum Maguntinum Cardinalem, vbi docet per indulgentias nunquã fore securum hominem, sed debere semper in timore & tremore salutẽ suam operari, quia iustus vix saluabitur teste Petro. Quapropter demiror, vnde illi in mētẽ venerit vt iã dicat nudã fidẽ, & eam solã iustificare hominẽ & saluare. **ORTHO.** Mirari defines si tecum reputer quã leuis ac perpetuò incõstans, immo quã sit ipso v̄to mutabilior Lutherus. Qui aliud sedens, aliud stans loquitur. Quum enim explodere niteretur indulgentias, dixit nihil securitatis

1, Pet. 4.